



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et  
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

**Engelhard, Johann Martin**

**Moguntiae, 1700**

Titulus VIII. De Concessione præbendæ & Ecclesiæ non vacantis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](#)

sunt Iuris gentium; sed Iuri gentium Princeps  
rogare nequit. cap. 1. de probat. l. ex hoc iure ff. de juf.  
jure. ergo nec Papa concordatis.

## TITULUS VIII.

### *De Concessione præbendæ & Ecclesiæ non vacantis.*

**Q**UÆRES I. Quot modis beneficia vacant  
contingat? Respond. Beneficia vacare di-  
cuntur cum Domino carent; vacatio au-  
tem beneficiorum 4. modis contingere potest. Pri-  
mo, per mortem naturalem ipsius beneficiati. cap. su-  
mptum de rescript. in 6. Ad hoc autem ut per mortem  
fiat vacatio, requiritur, ut mortuus jus in re habue-  
rit, alias enim si ante institutionem vel collatio-  
nem adeoque ejus Dominio nondum obtento mo-  
raretur, beneficium non per ejus sed antecessoris  
mortem vacare censeretur. Covaruv. lib. 3. vari. nf.  
cap. 16. nu. 3. Secundo, per dispositionem Iuris. tali  
modo vacat, 1. Beneficium prius obtentum per  
assecurationem alterius incompatibilis. 2. per profes-  
sionem approbatæ religionis. cap. beneficium de regula-  
ribus in 6. 3. Per matrimonium validè contractum.  
4. Si obtainens Episcopatum consecrationem ultra  
6. menses culpabiliter differat, vel provisus benefi-  
cio Parochiali intrâ annum ordinem Sacerdotalem  
non assumpserit. cap. licet & cap. quam sit de elect. in 6.  
5. Si quis possessionem beneficij occupet violenter.  
6. Si Prælatus bona Ecclesiæ, non servata Iuris for-

ma

ma alienaverit. 7. Si committat crimen, cui privatio beneficij ipso Iure annexa est ; Talia crimina sunt hæresis, schisma, sodomia sæpius exercita, percussio Episcopi vel Cardinalis, homicidium qualificatum v.gr. Reatoris vel alterius conbeneficiati suæ Ecclesiæ, falsatio litterarum Apostolicarum, simonia confidentialis, acceptio pecuniae pro examine Parochi, &c. de quibus vide *Barbos. de jure ecclesiast. lib. 3. cap. 14. num. 1.* Tertiò vacant beneficia per sententiam Judicis condemnatoriam ob admissum crimen, cui pœna privationis à iudice est infligenda ; sic beneficiis suis privandi sunt homicidæ simplices, adulteri, concubinarij non resipiscentes, perjuri, blasphemi & alij quos vide apud *Vallens.* Quartò, denique per resignationem liberè factam.

**QUÆRES** 2. Quid præsente titulo circa beneficiorum vacationem sit observandum ? Respond. Quatuor potissimum *hoc tit.* statuta sunt. 1. Ut non conferatur beneficium, nisi verè vacaverit ; Eset enim ejusmodi collatio ipso jure irrita, & qui scienter tale beneficium acceptaret, etiam dum postmodum vacans esset, illud impetrare non posset. 2. Beneficium non vacans nemini promittatur, quod idem de promissa præsentatione dicendum est. *cap. 13. b. t.* Promissio enim esset in valida, idque propter periculum captandæ mortis, *cap. 2. § 3. b. t. in 6.* 3. Ob eandem rationem cautum est ne Episcopus vel alius, Ius vel facultatem beneficia vacatura conferendi alteri concedat. 4. Denique ut collatio beneficiorum fiat intra debitum tempus, ne diutina beneficiorum vacatio damnosa sit Ecclesiis & animabus periculosa ; de quo tit. *preced. di-* ximus.

TITU;